



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XII. De pretio ob cessans ex venditione lucrum aucto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XII.

*De pretio ob cessans ex venditione lucrum acuto.*

**S**Empronius vendit Cornelio frumentum 30. florenis, quia autem prævitet frumenti pretium post aliquot menses acutum iri; hinc à Cornelio majus currente tunc pretium exigit, occasione hujus

Quær. Quandonam lucrum cessans sit legitima pretii augendi causa?

### Synopsis.

#### §. I.

#### *Prænotanda.*

1. Quandonam lucrum ex venditione atque ex emptione cesset?
2. Debitor constituto tempore non solvens ad compensandum ex mora cessans lucrum creditori compensare tenetur.

3. Nec non, qui vi, fraude, ac metu contractum extorsit.
4. Status quæstionis declaratur.
5. Nec non variæ ejusmodi contractuum circumstantiæ.

#### §. II.

6. Ob lucrum cessans venditori ex venditione in gratiam emptoris poterit aliquid exigi.
7. Debet autem venditio esse vera causa lucri cessantis.
8. Non poterit tamen totum lucrum cessans exigi.
9. Emptor etiam monendus erit de acuto ex hac ratione pretio.
10. Pro lucro primum cessaturo non poterit aliquid jam solvendum exigi.
11. Minori tamen summa redimi poterit dilata solutio.
12. Credito vendentibus non licet res carius vendere.

13. Num se ipsum ad vendendum offerens id ipsum exigere possit?
14. Aut malens nunc vendere, quàm in posterum rem conservare?
15. Quando nam ob periculum non acquirendi lucrum speratum aut amittendi mercem aliquid deduci debeat?
16. Aut ob laborem in conservanda & postmodum distrahenda hac merce subeundum.

§. I.

*Prænotanda.*

**C**um unicus titulus, ex quo isti contractus justi possint reddi, sit lucrum, quod ex illis Sempronio cessat, hinc an, & quando ob lucrum cessans augeri in venditione pretia rerum possint, erit examinandum.

Advertimus igitur primò, tunc lucrum ex venditione cessare, quando ex eo, quod vendo, amitto lucrum, quod ex mea re majus facturum eram, quàm modò facio; ex emptione autem cessat lucrum, quando ex

eo, quod emo, amitto occasionem lucri, quod postea ex mea pecunia facere possem; ut in proposito casu in gratiam Cornelii vendit Sempronius scapham tritici, cujus modò pretium summum sunt octo floreni, si autem Sempronius servaret hoc triticum usque ad tempus aliquot mensium, solverentur illi tunc vendenti 15. Item in gratiam Titii emit vinum aliàs non empturus 30. florenis, sed expectaturus tempus, quo pretium vini vilius aut valor pecuniæ decrescet. Item lucrum etiam cessare potest ex mora emptoris, si scilicet constituto tempore non solvat.

Adverto 2. Juxta *cap. finale de jurejurando, & damno dato. leg. 2. §. fin. 4. & leg. final. ff. de eo, quod certo loco leg. 17. §. 3. ff. de actio. empri.* emptorem & quemcunque alium debitorem, si tempore constituto non solvat, atque ex illius mora lucrum venditori cesset, ad hoc compensandum fore obligatum.

Adverto 3. Ad hanc ipsam compensationem lucri cessantis obligatos, licet ista in pactum non fuerit deducta, esse illos etiam, qui per vim, metum, aut fraudem

fraudē alios ad vendendum injustē coegerunt; etenim cū ex capit. *ulti. de jurejurando & damno dato* constet, damnum injustē illatum compensandum ab illo esse, qui illud injustē dederat; defectus autem lucri sit damnum injustē illatum, hinc defectum hujus lucri cessantis injustē caufatum compensare debet.

4 Adverto 4. Solam quæstionem defactō moveri, an seclusā morā debitoris & nullis intervenientibus dolis, fraude, vel coactione venditor in ipso contractu aliquid supra consuetum pretium exigere, aut ab emptore quid detrahare possit, si aliquid lucrum sibi ex tali contractu cessaturum prævideat.

5 Adverto 5. Quod venditor ad talem contractum ab emptore rogatus fortassis fuerit, vel ultro se huic ad vendendum obtulerit. Item quod malit cum tali lucri cessantis compensatione vendere, quàm servare mercem.

§. II.

Resolvitur Quæsit.

Quandonam lucrum cessans sit legitima pretii augendi causa?

Dico. Juxta ratam lucri cessantis posse à venditore augeri pretium, si eidem ex venditione in gratiam emptoris facta aliquod lucrum cesset. Est communis teste Sala *de usur. dub. 19. n. 3. §. 8. servaturus*. Veritas conclusionis ostenditur ex capit. *naviganti ultimo de usuris*, in quo ab usura excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro iisdem, si tamen ea tempore contractus non erat venditurus: ergo talis venditio est licita. Prob. conseq. si esset illicita, foret ob malitiam usuræ, sed hæc abest: Ergo.

Probatur 2. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 4. ad 1. & q. 78. art. 2. ad 1. Lucrum cessans est aliquod damnum, & ob hoc mihi eveniens possū juxta communem Theologorum ac jurisperitorum carius vendere: ergo etiam ob lucrum cessans. Prob. 2. dum membrum antecedentis. Damnum emergens est pre-

pretio æstimabile, ergo ob hoc exigi quid poterit, si necessitas proximi extrema vel gravis contrarium non suadeat, est enim æquitati contrarium, ut venditor aut emptor ex contractu quoddam damnum patiat, cum juxta *Can. 4. §. 3. 10. q. 2. Ratio & usus obrineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi, de proprio facere beneficium.*

Confirm. Non minus æstimabile est lucrum, quàm damnum, & perinde quoad jacturam est, sive perdam centum, quæ habeo, sive non acquiram, quæ aliàs certò eram acquisiturus: ergo si ob damnum augeri potest pretium, etiam poterit ob lucrum cessans, cum non rarò ex lucro cessante gravius se læsum quis sentiat, quàm ex damno emergente, quis enim non magis volet perdere centum, quæ jam habet, quàm non acquirere ducenta, quæ certò habiturus est. Dein si periculum perdendi centum actu à me possessa est æquè probabile, ac periculum non acquirendi ducenta, quæ probabiliter habiturus sum, tunc malo me conjicere in

periculum amittendi centum jam possessa, quàm in periculum non acquirendi ducenta probabiliter habenda: ergo lucrum cessans, non secus ac damnum emergens, dat licentiam augendi pretium.

Confirm. Quando cujusdam mercis pretium paulò post majus est, quàm nunc sit, tunc illa propter occasionem lucrandi plus jam mihi nunc est, & valet: sed quando venditori res plus valet, & peculiare commodum affert, tunc ultra consuetum pretium exigi aliquid plus poterit: ergo etiam, quando mercis pretium paulò post est majus, possum plus communi pretio exigere.

Confirm. 2. Si piscator aut venator in gratiam alterius piscationem aut venationem omittat, potest ob cessans ex harum amissione sibi lucrum aliquid petere juxta proportionem spei, quam de capiendis piscibus, & præda habuit, ergo idem etiam de tali venditore circa compensationem lucri cessantis potest, & debet concedi.

Ut autem talis excessus supra consuetum pretium à venditore

lici-

7

licitè exigatur, diximus, requiri, ut talis venditio sit vera causa alicujus lucri cessantis, quod tunc fit, quando, v. g. frumentum nunc nequaquam alii venderem, sed in tempus, quo majore illud pretio distrahere potero, asservarem, augere etiam pretium consuetum non potero, si pecuniam, quam modò ex venditione tritici accipio, servaturus sim in tempus, quo illius valor major erit, hac enim ratione jam compensatur lucrum ex frumento nunc vilius vendito cessans.

8 Ulteriùs notandum, ob hoc lucrum cessans non posse venditorem tantùm exigere, quàm tunc absolutè & per se est lucrum, quod sperat se obtenturum, si in posterius tempus suam rem assevaturus esset, deducendi enim ab hac summa erunt sumptus, quos in assevatione, transportatione &c. uti & distractione illius factururus esset. Ratio est, quia illud mihi tantum lucrum cessat ex moderna venditione, quod deductis expensis deest.

9 Præterea observandum in hoc erit, quod Valentia 2, 2, disp. 5,

q. 20, part. 2, conclus. 3, §. 3. Salas trad. de empt. dub. 30, n. 4. observant, emptorem à venditore monendum esse de acuto oblucrum sibi cessans, ut hoc compensetur pretio. Ratio est, quia aliàs excessus istius solutio est ipsi ementi, hujus circumstantiæ ignaro, involuntaria, potest enim, & solet contingere, ut emptor ob hunc excessum sibi intimatum talem mercem emere detrectet, eò quòd alios mercatores, qui minori pretio sunt eam distracturi, invenire, aut emptionem in aliud tempus differre possit, quo minori pretio hanc rem emere poterit.

Denique, ut justè talis contractus instituatur, pro lucro nondum cessante, sed primum cessaturo non poterit aliquid exigi jam nunc solvendum, antequam lucrum re ipsa cesset. Ratio est, quia hoc modo emens plus daret, quàm deberet, vendens autè plus acciperet, quàm perderet. Prob. Emens jam nunc privaretur suâ pecuniâ, uti & lucrò, quod inde habere potest, cùm tamen mihi nondum aliquod lucrum cesset, vendens autem jam nunc lucraretur

P

pecu-

pecunias, & lucrum, quod ex ea habere potest, cum tamen nullum adhuc lucrum eidem cesset: ergo &c.

¶ 11 Cum autem obligatio autonus aliquid in posterum faciendi aut solvendi jam nunc presentis pecunia ab obligato possit redimi, ideo etiam excessus tempore lucri cessantis primum solvendus, minori quadum summa, quam postea emergens lucrum cessans erit, redimi antea poterit, ad quam autem anticipationem a vendente cogi licite non poterit ipse emens, interea licitum erit vendenti, jam nunc rem infructiferam pro lucro cessante accipere, quia nec vendens ex hoc aliquod lucrum, nec emens damnum quoddam patitur.

¶ 12 Ex hoc tamen male inferunt mercatores, si cum credito, auf *Bith / und auf Borg /* merces vendant, se posse communiter loquendo illas majore pretio distrahere ob lucrum, quod iisdem ex dilatione solutionis cessat, eò quòd suas pecunias ad negotiandum semper habeant expositas. Ratio id negandi est, quòd credito vendentes acquirant plures

emptores, merces etiam plures vendant, consequenter nullum per hoc illis lucrum cesset, retinent insuper occasionem vendendi suas alias merces presentis pecunia, ac vendendo credito simul ac semel plures merces, quam si presentis exigatur, pecunia, distrahunt.

Hucusque ostendimus, quater ob lucrum cessans a vendente in alterius gratiam aliquid ultra ordinarium pretium exigere poterit. superest quaestio, num id ipsum etiam liceat venditori, qui se ipsum sponte, non interpellatus ab emente ad rem quaedam eidem vendendam se offert? Affirmativam sententiam tenent Sotus, Bannez, Cajetanus, Navarrus, Salas, Molina, *tract. 2. disp. 315, n. 5.* Lessius *lib. 2. disp. 20, n. 101. &c.* atque hac ratione probant. Aequalitas & justitia contractus solum ex eo pendet, quòd lucrum, cujus compensatio petitur, verè mihi ex hac venditione cesset, non autem ex eo, quòd me ad vendendum offeram, vel non: ergo quòd venditor ultrò se offerat, non tollit jus aliquid exigendi ob lucrum cessans.

Præ-

14 Præterea, cum mercatores aliqui malint nunc cum tali lucri cessantis compensatione vendere, quam mercem ad tempus, quo hæc carius distrahi poterit, servare, dubium de justitia hujus contractus moveri solet. Circa solutionem hujus dubii advertunt AA. ordinariè in talibus distractionibus non servatas esse conditiones ad valorem & æquitatem venditionis necessarias, ut scilicet non plus accipiant, quam habiruri essent, si in tempus posterius mercem conservassent. Communiter enim ideo nunc vendere malunt, quia majus lucrum sic vendendo faciunt, aut se liberant sumptibus, molestiis, laboribus, ac periculis, quæ aliàs in rebus servandis & postea distrahendis subire deberent, & pretio redempto velent, ex quo deducitur, talem contractum fore justum, si non ob majus lucrum aut pretio æstimabile commodum exinde provenientia res suas vendiderit, quibus aliàs illi carendum esset; sed ex eo, quia hoc modo se gratiam emptori facturum prævidet, nec non aliqua modica & non æstimabili molestia, aut

etiam qualicumque remoto perdendæ mercis periculo, ad quæ tamen nullos sumptus facere vellet, liberatum. Huic suo asserto probabilitatem conciliant ab artifice, qui nollet aliquo pretio emere otium à labore, sed potius vellet totum suum lucrum cum labore habere, quam minus sine labore, talis, inquit, artifex potest totum suum lucrum exigere ab eo, à quo venatum ducitur, licet revera totum illud lucrum malit habere sine labore & cum recreatione ex venatione, quam cum labore: ergo idem de tali mercato- re tenendum erit.

Ex hoc autem novum quod-<sup>15</sup> dam dubium exoritur, an scilicet emptor aliquid ex lucro cessante venditori detrahere possit ob periculum, quod omisso tali contractu venditor circa amittendum lucrum aut ipsam etiam mercem subire cogitur, cum venditorem spes sua possit fallere, ac ipsam mercem amittere. In hac quæstione videndum, an verè aliquod periculum vel lucri non faciendi aut mercis perdendæ adsit, tunc enim istius periculi ratio haberi, & pro rata isti-



us aliquid ex compensatione lucri cessantis poterit detrahi, comparatis scilicet inter se, & spe ipsius lucri faciendi, & periculo non faciendi; hinc si periculum & spes sint æqualia, nihil pro hoc poterit exigi, bene autem, si majus sit periculum, quàm ipsa spes. Hac enim ratione & non alia æqualitas contractus observabitur.

16 Cùm autem venditor differendo venditionem ad ulterius tempus in re conservanda, ac postea distrahenda laborem subire debeat, hinc etiam quæritur, an ob hunc laborem aliquid emptor detrahere possit ex summa pro lucro cessante persolvenda. Lessius *lib. 2. cap. 20. num. 89.* & Card. de Lugo *disp. 25. n. 106.*

defendunt, tunc ratione laboris aliquid detrahi posse, quando eundem ipse venditor pro pretio æstimat, ità, ut vacationem ab eo, & otium redimere paratus esset; secus si nollet redimere, sed laborem libenter subire, tum ad vitandum otium, aliàmve molestiam, vel quia facili conatu cum cæteris laboribus id præstaret. Rationem dant, quia vacatio laboris respectu laborantis, non autem in genere spectanda est, ità, ut si huic labor molestiam aliquam afferat, qua se exemptum vellet, otium sit pretio æstimabile, non item, si laborans æquè facilè libenter laborem admittat, quàm otium.



### Casus XIII.

*De pretio, justo minore, supplendo.*

**P**etrus optima fide in foro scrutario emit, vel comutavit metallinam statuam, quàm Ecclesiæ curatores tanquam Ecclesiæ parùm utilem vendendam exposuerunt ex rationabilibus causis, pretio, ut venditoribus videbatur, justo, ac tali, quod notabili tempore pro ea nemo pendere volebat. Cùm  
verò